



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

239. Quòd munus sit etiam à lingua.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

De eadem re. *Ex Concilio Meldensi*  
cap. XLIII.

Concil. Meld.  
c. 43.  
Burchard. lib.  
I. c. 21.

S. Gregor. lib.  
7. Ind. 2. epift.  
110.  
Idem lib. 4.  
Ind. 14. epift.  
51.

S. Gregor. ho-  
mil. 4. in  
evangelia.  
Burchard. lib.  
I. c. 113.

Esa. 33.

**C C X X X V I I I .** Cavendum est & sum-  
mopere præcavendum ac per virtutem Christi  
sanguinis interdicendum Episcopis & Regibus  
& omnibus sublimioribus potestatibus atque  
eundis fautoribus & electoribus quorumcun-  
que , atque consensoribus seu ordinatoribus in  
gradu ecclesiastico , ut nemo per simoniacam  
hæresim regiminis locum obtineat quacunque  
factione , calliditate , promissione , seu com-  
moditate , aut datione per se aut per emissam  
personam , cùm Spiritus sanctus inter cetera  
documenta per os sancti dicat Gregorij : *Cur  
non perpendit qui abedictio illi in maledic-  
tione convertitur?* Et alibi : *Dolens , inquit , di-  
co , gemens denuntio , quia sacerdotium , quod  
apud vos intus cecidit , foris diu stare non po-  
terit.*

Quòd munus sit etiam à lingua. *Ex dictis  
Gregorij Papæ.*

**C C X X X I X .** Sunt nonnulli qui nummorum  
quidem præmia ex ordinatione non accipiunt,  
& tamen sacros ordines pro humana gratia  
largiuntur. Hi nimis quod gratis accipiunt,  
gratis non tribuunt, quia nummum favoris de  
impenso officio sanctitatis expetunt. Unde  
cùm virum justum describeret Esaias, ait: *Qui  
excudit manus suas ab omni munere.* Quia aliud  
est munus ab obsequio , aliud munus à manu,  
aliud munus à lingua. Munus ab obsequio , est  
subjectio indebitè impensa. Munus à manu,

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 117  
pecunia est. Munus à lingua , favor. Qui ergo  
facros ordines tribuit , tunc ab omni munere  
manus excutit quando in divinis rebus non so-  
lùm ullam pecuniam , sed etiam humanam  
gratiam non requirit. [ *Vide S. Gregor. lib. 9.*  
*Moral. c. 17. & lib. 12. c. 25.* ]

Ne Presbyteri , ut Ecclesias obtineant,  
munera dent. *Ex Capitularium*  
*libro I.*

CCXL. Ut nullus Presbyter ad introitum  
Ecclesiæ xenia donet. [ *Vide Capitulare Theo-*  
*dulfi cap. 16. Capitula Ahytonis Episcopi Bas-*  
*leensis ad Presbyteros suos cap. 12. & Capitula-*  
*re ejusdem cap. 33.* ]

Lib. 1. Capi-  
tular. c. 146.

De his sacerdotibus vel Clericis qui per  
pecunias aliorum sacerdotum Ecclesias  
aut beneficia subripiunt vel subvertunt.

Sancitum est atque omnibus modis prohi-  
bitum , ut si quis Presbyter præventus fuerit  
alicui Clerico aut laico munera dare aut dedis-  
se aut alicui pecuniam tribuere ut alterius  
Presbyteri Ecclesiam subripiat , pro hac cupi-  
ditate seu rapina turpis lucri gratia deiciatur à  
clero & alienus existat à regula. Nam si pro  
misericordia Episcopo placuerit longo tem-  
pore eum , pœnitendo quæ gessit , in carceris  
ærumna recludere , & usque ad satisfactionem  
ibi detineri , & postea , si se correxerit , & talia  
deinceps minimè se facere promiserit , huma-  
nius erga eum agere , poterit , si voluerit , &  
ipse dignus inventus fuerit.

Lib. 7. Capi-  
tular. c. 146.  
Burchard. lib.  
3. c. 114.